



Samelbd.

0/0

die,

INTERPRETATIONEM ⁷⁵
ALLEGORIAE HOMERICAE
DE
ERRORE ET PRECIBVS.

INCIPIT
ET
AD AVDIENDAS ORATIONES IV.
IN SCHOLA TORGAVIENSI

D. IX. NOVEMBRIS. A. CIOIOCCCLXXXIV. ^{A 784}

HABENDAS
PATRONOS ET FAVTORES

HVMANISSIME INVITAT
M. TRAVGOTT FRIDERICVS BENEDICT

LYCEI RECTOR.

LIP S I A E
EX OFFICINA SOMMERL

INTERPRETATIONEM
ALLEGORIALI HOMERICAE
ERRORE ET PRECIBUS

INSTITUTUM
ET
AD AUDIENDAS ORATIONES IV
IN SCHOLA TORGAVIENSI

PATRONS ET FAVTORES
LE TRAYGOTT FRIDERICVS BENEDICT

LITISIAE
EX OFFICINA SOMMER





§. I.

Laetissima nunc tempora inciderunt, quibus *Homeri*, poëtarum principis, studium a doctissimo quoque inprimis commendatur, atque pristinam recipere dignitatem videntur eius carmina, quae olim omnis fere antiquitas tanquam ipsum et veritatis et elegantiae fontem suspexit. Non meo quidem iudicio, quae omnibus litteris accuratori carminum Homericorum interpretatione affulget, spem laetissimam concepi, sed *HEYNI* a), omnis scientiae elegantioris nostra aetate facile peritissimi, sententiae innotuit, cuius egregia, quae passim in operibus doctissimis suppeditavit ad vberiore[m] *Homeri* cognitionem adminicula, si quidem nullus nunc praeter illum poëtae antiquissimi lectionem commendaret, vel sola ad spem de eo cupidius legendo cum concipiendam tum confirmandam sufficiunt. Neque vero quod meos animi sensus

A 2

aliqua

a) Conferatur inprimis eius epistola ad *schow*, v. c. nouae Allegoriarum Homericarum *Heraclidis* editioni praemissa.

aliqua inprimis voluptate titillat, atque bellum superstitionis magis, quam verae librorum diuinorum interpretationi grauissimum minatur, studiosa Homeri lectione antiquissimi hominum mores, dicendi consuetudo, scientia atque cogitandi ratio latere nos amplius possunt: quae omnia cum obuia in libris diuinis cogitandi et agendi consuetudine mirum quantum conspirant. Quoad enim ridiculos saepe interpretum errores altius indagare mihi licuit, quibus imminutam quidem librorum diuinorum auctoritatem, non vero stabilitam legimus, mores hominum atque loquendi usum nostra aetate cum illa antiquitatis simplicitate atque figurata dictione turpiter commutant: quo factum est, vt quicquid olim in vsu fuit, commendare et inter nos probare stulti hominis opera videretur, neque tamen raro, quod sub imagine quadam expreflerunt veteres, sensu proprio explicandum putarent. Iam nolim enumerare remedia, quibus alterum errorem de moribus veterum falso intellectis remoueamus, neque enigmam tam late patere videtur quam qui de inepta verborum interpretatione committitur, neque penitus, nisi tropis atque figuris antiquae dictionis apte enodandis eradicari poterit: variae denique itinerum enarrationes, quibus literarum studia ornare atque augere passim voluerunt, doctissimi viri, praeter ipsam Homeri atque omnium omnino scriptorum antiquorum lectionem, ad tollendum eiusmodi errorem non minimum conducere videntur. Ei vero errori, qui ex antiquae dictionis incertitia oritur quam efficaciorum atque librorum inprimis diuinorum interpretationi magis proficuum adhibere medelam possis, ipsa Homeri accurata interpretatione? Antiquissimae enim aetatis tempora proxime attingit, quibus primi Foederis Antiqui scriptores vixerunt, neque tantum olim in hominum moribus discrimen, quantum postea deprehendebatur, ipse vero ex Asiae regionibus oriundus b), vt constans fert veterum opinio, nec ingenio nec dicendi genere ab illis Orientis scriptoribus longe abesse poterat: cum praesertim de

b) Vid. BLAKWELLS *Untersuchung über Homers Leben und Schriften*, p. 7. et WOODS *Versuch über Homers Originalgenie*, p. 32.

de morè illorum temporum peregrinatus per Asiam ad exornandum, quo uteretur, dicendi genus permulta congestisset. Huc accedit, quod ipsam Graecae linguae originem ex oriente repetendam censent eruditi c), cuius in carminibus antiquis usus, quia tunc imaginum sub sensus positarum frequentia magis opus esse videtur, ad illa primae originis vestigia respicere imprimis nos iubet. Iam vero ut ipsa infantum eloquentia, qui sensuum magis externorum imperio quam ingenii litteris subacti iudicio parent, verbis minus propriis atque sub rerum alienarum imagine pleraque nondum satis cognita describit, ita similem res novas depingendi consuetudinem in antiquissima illa hominum aetate deprehendimus: quae quidem multarum rerum pictura quamuis a summis profecta ingenii, neque sine eximio delineata sit artificio, morum tamen atque linguae imprimis antiquae rationem ita ubique prae se fert, ut rei verbis descriptae propriis alius saepe rei imaginem subesse atque eiusmodi occulta facti notissimi delineatione maximum poetae et ingenium et artificio cerni videatur. Quodsi igitur aetas nostra ad Homeri explicationem, qui in illo dicendi genere minus proprio primas tenet ideoque cum scriptoribus sacris potissimum comparari meretur, instructior maioriq[ue] adcuracione accesserit, iure meritoque postulare videmur, ut qua ingenii dexteritate poetae illius interpretes in allegoriis atque figuris explicandis sunt usi, eandem quoque librorum diuinorum interpretationi adhibeant, cumque vna in omnibus explicandis scriptoribus via incedendum videatur, quae mores et linguam cuiusque aetatis respicere nos iubet, ut eadem via progressi librorum diuinorum studiose in ipso sole non raro caliganti clariorem eius lucem Homeri comparatione accendant.

§. II.

Neque vero tacere possum, quod, quae mihi demandata est, docendi prouincia, in memoriam reuecat, nihil facile ad forman-

A 3

dos

c) cf. ERNESTI prolusio: *de Vestigiis linguae hebraicae in lingua graeca.*

dos atque delectandos iuuenum animos conferre magis posse, quam aptam eiusmodi troporum atque figurarum interpretationem. E rebus enim sub sensus cadentibus tale loquendi genus depromitur, quibus semper iuuenilis aetas suauissimam percipere voluptatem solet, et quia tunc saepe, quae verbis non disertis expressa cernis, cogitando addere et rei non visae comparationem in auxilium vocare cogimur, ingenium hominum illa exercitatione non tantum suauiter demulcetur sed ipsa quoque iudicandi et cogitandi acuitur facultas. Quare, aliquam scribendi naetus occasionem, operae pretium me facturum duxi, si illam *Homericæ Allegoriae* interpretationem adiungerem, quae erroris atque precum mox seclularum naturam depingit.

§. III.

Sed antequam ipsa Homeri loca inquiram, de *Allegoriae natura atque virtute* primum quaedam praecipere animus est, quibus recte intellectis aliorum quoque locorum sensus, in quibus *Inuersio* illa occurrit, facilius cognoscetur. Quamquam primi graecae linguae doctores non vsi sunt *ἀλληγορίας* vocabulo, auctore ΠΥΤΑΡΧΟ, d) sed propter occultum, qui dictis subesset, sensum ὑπνοίων illud figurae generis nominarunt: tamen, quo quis antiquior habetur, eo frequentiore allegoriae usum in scriptis eius deprehendes. Itaque Homeri, poetarum antiquissimi allegorias, singulari libello excussisse atque ex Stoicorum praeceptis defendisse constat, qui sub HERACLIDIS nomine laudatur. Cuius quidem auctoris sententia e) ὁ ἀλλὰ μὲν ἀγορευῶν τρόπος, ἕτερα δὲ, ὧν λέγεις, σημαίνων, ἐπωνυμῶς ἀλληγορία καλεῖται h. e. illa dicendi ratio, quae alia quidem dicit, sed alia, quam quae dicuntur, intelligi vult, Allegoriae laudatur nomine.

Sed

d) in libro: de poetis audiendis, c. 4. conf. ad l. l. KREBSIVS et quos ibi laudat.

e) cap. 4. de allegoriis.

Sed ne illis verbis ad quamlibet tropi conseruationem in aliqua orationis parte abutamur, adiiciamus, necesse est, quae de sententiae integrae per totam orationis partem continuatione docentur. Fieri enim potest, vt in hoc vel illo orationis membro tropi occurrant a re diuersa desumpti, quod tamen contra rhetoricum praecepta peccatum dicunt. Vt, si *VELLEIVS f)*, de praelio pharalico narrat: *collisa inter se duo reipublicae capita, effossumque alterum imperii Romani lumen*, non eidem inhaesisse rei, sed sub duplici imagine illos depinxisse duumuiros in eodem orationis membro videtur. In quo quidem Orientis scriptores attigit, ingenii sui, in calidiore coeli temperie enutriti, seruore concitados, vt plures in eadem orationis particula imagines vni rei affingant: sed ipsa altioris Grammatices praecepta, naturae rerum quam maxime accommodata, hac duplici imagine minime seruauit, quia Pompeium siue cum altero reipublicae capite, siue cum eius lumine tantum comparare licuisset. Maiori autem artificio eandem tropi imaginem, vt solet plerumque, in his verbis *CICERO g)* seruat: *Nonne providendum senatui fuit, ne in hanc seditionis materiam ista funesta fax adhaeresceret?* Verba enim *fax, materia, adhaerescere* atque *funesta* ita apte inter se iuncta cernis, vt totam velut picturam eiusdem imaginis absolutam paucissimis dicas.

Neque vero ipsam allegoriae vim obtinet illa tropi eiusdem conseruatio, id, quod duobus exemplis allatis demonstrare volui. Qui quidem tropi tantum additamento inseruiunt in ipsa orationis sententia neque praecipuam eius constituunt partem, cum eadem antea verbis propriis expressa leguntur. Possent igitur, si alio loco positi per plura orationis membra vberius explicarentur, Allegoriae indui formam, qui cum vno tantum vel altero conseruantur membro, non illo nomine laudantur ab eruditis. Nam *Allegoriae* est

f) historiae rom. lib. 2. c. 52.

g) in Orat. pro *Domo sua* num. 13.

est proprium, ut primariam periodi, quae dicitur, partem constituat, ut imaginis descriptio per omnia eius membra continetur, neque inchoata tantum in eadem sententia sed absoluta quoque dici possit. Ita allegoriam non immerito deprehendi contendam in illo Ciceronis loco ^{h)} ubi insidias sibi a Catilina factas cum sica comparat: enarratio enim, quae proxime antecedit, in comitio olim stetit Catilinam cum telo, subnectendae huic Allegoriae praebuerat occasionem. Verba eius haec sunt: Quoties tu me designatum, quoties consulem interficere conatus es? quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari non posse viderentur, parua quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore effugi? nihil agis, nihil assequeris, nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore: neque tamen velle ac conari desistis. Quoties tibi extorta est ista sica de manibus? quoties vero excidit casu aliquo et elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas esse, consulis in corpore desigere. — Ipsum statim segmenti initium, quoties me interficere conatus es, consilium orationis exprimit, se in vniuersum de insidiis, sibi quouis modo factis, loqui velle. Quare etiam cum illas cum sica comparat, reliqua metonymiae exornatio aptissime fluxit, se petitiones Catilinae ita coniectas, ut vitari non possent, parua declinatione effugisse, sicam ipsi de manibus extortam, vel casu aliquo delapsam. — In vniuersum autem Allegoria nullibi locum habet, nisi rem sub sensu cadentem in auxilium vocaueris, quae explicandae vberius rei obscurae et intellectu tantum comprehensae inferuit. Ex quo sequitur, partim antiquissima aetate, quod iam satis demonstrauimus, allegoriae usum apud omnes scriptores frequentiore, quam inter nos, adhiberi, quia saepe animi incertitia adducti rem sine doctrinam, quae nos non amplius latet, cum ipsis obscura videretur, sensuum imperio Allegoriae ope subiecerunt, partim virtutum, vitiorum, opinionum variarum, morum, periculorum, commodorum, omniumque omnino rerum, quae sensus hominis externos

h) in oratione I. in L. Catilinam, cap. 6.

ternos non feriunt, descriptionem personae sensibus subiectae involutam proponi.

Porro laudatus Ciceronis locus hoc habet peculiare, vt metonymiae tropum Allegoriae subnectat. Vfitatissima enim est apud poetas et oratores *metaphora* a rerum similitudine profecta, si Allegoriae descriptio conficitur, quamuis varia Synecdoches et Metonymiae exempla ad eiusmodi vsum non desint. Sed alia iam quaestio oritur an Ironiam quoque continuatam Allegoriae subiungam? Ita saltem decernere videtur QVINCTILIANVS i). Dicit enim: *Ἀλληγορία, quam Inuersionem interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit ac etiam interim contrarium.* Deinde paulo post pergit: *In eo genere, quo contraria ostenduntur, ironia est.* etc. Sensu igitur latissimo Allegoriae vocabulum sumisse videtur, quo quicquid aliter dicunt, quam vere intelligi debeat, complectimur. Quamquam autem ab illa QVINCTILIANI definitione non magno opere abhorret supra laudata Heraclidis definitio, nullum tamen in eius libello deprehendere exemplum potui, quo Ironiam quoque ad Homeri adnumerauerit Allegorias. Itaque Grammaticorum recentissimorum me partibus adiungo, qui ironiam ab Allegoriae definitione excludunt. VOSSIVS quidem hanc affert causam l), quia si laxè adeo illud *ἄλλο* in *ἄλληγορίας* voce sumatur, omnis ironia, etiam, quae continuata non sit, allegoria habeatur. Sed melius sententiam, quam fouet, defendisse SCALIGER videtur m). Dicit: *ironia* „a Graecis ita appellata fuit, quia nihil significet eius, quod dicit; sed solum ipsum dictum sit absque significatione, quae debetur ei. Hoc igitur habet cum Allegoria commune vt aliud dicat, aliud significet „vtraque. Differunt vero: quia non sentit Allegoria contrarium, sed simile: cuius propterea vis sita est in coniunctione. Ironia „contrarium indicat: et constituta est in disunctione.“ Quibus quidem

i) Institut. Orator. lib. VIII, cap. 6.

l) Institut. Orator. lib. IV. cap. II.

m) libro III. poëticae, cap. 85.

dem summi Scaligeri verbis omnis ex animo remota est dubitatio, ne amplius ironiam cum Allegoria confundam.

Imo vero, cum similitudinis semper ratio in Allegoria habeatur, verissimam amplector MORI, praeceptoris pie deuenerandi, quem honoris causa mihi nominare liceat, sententiam n). Tres enim necessarias Allegoriae partes laudat, *primum, rem de qua instituta est comparatio* quamuis verbis saepe disertis non expressa legatur, deinde, *rem quae huic inseruit comparationi* et quam sensibus externis nunquam non cognoscimus, denique, *aliquam, quae inter rem vtramque intercedat, similitudinem*, qua, vt Dialecticorum verbis vtar, tertium comparationis elicitur. Sicut autem huius vltimae partis, nempe similitudinis in re vtraque obuiæ non ea est ratio, vt omnis rei virtus et forma, cum illa, quae comparatur, conspiret, alias nullam facile iustam atque accommodatam duarum rerum instituere comparationem liceret: ita vitiosum tamen Allegoriae ornatum appellauerim, cuius nulla ad rem subiectam possibilis est accommodatio, vt adeo in verbis superuacanea quaedam adesse, neque omnes imaginis partes ad rem pertinere videantur. In eo enim positum arbitror discrimen *Aenigmatis, Fabulae* atque *Allegoriae*, si singula ad rectam artis normam examinantur. *Aenigmatis* partes, licet ad extricandas, quae sub illo latent, facetias non sint necessariae, ad miram tamen atque obscuram rei celatae descriptionem multum prodesse possunt. Similis quoque est *Fabulae* ratio, quae longam cuiusdam facti delineationem admittit et artis regulis accommodate confecta dicitur, si modo exitus narrationis seu summa ad alius cuiusdam facti nos concitat attentionem. Nonne igitur, *ne in aenigma siue in fabulam degeneret Allegoria, maiori diligentia opus est in designandis eius singulis partibus*, quia quicquid adiectum ad rem propositam non quadrare videtur, siue eiusdem parit obscuritatem siue nimis protractæ orationis fastidium?

Iam

n) Eam olim me legere memini in doctissima eius: *de Allegoria* dissertatione.

Iam vero supra dixi, rem, ad quam omnis Allegoriae respicit, ornatus, siue cum qua rei alterius comparatio instituitur, verbis saepe disertis expressam non legi. Quod si locum habet in Allegoriae descriptione, *purae* nomen accipit, si contra, quod multo saepius accidit, vel verbo mentio iniicitur *mixtam* appellant, quamvis propterea vis eius fracta aut diminuta dici non possit. Huius distinctionis autorem iterum laudo QVINCTILIANVM, cuius l. l. haec sunt verba: *Habet usum allegoriae frequenter oratio, sed raro totius: plerumque apertis permixta est.* — Deinde paulo infra: *Illud commixtum frequentissimum.* Neque vero alio consilio hanc Grammaticorum laudavi distinctionem, quam ut illud cognoscendae Allegoriae iudicium acueretur, quo sine vel nullam saepe vel nimiam Allegoriae praesantiam, sed sine causa, tribuunt. —

Supereff jam ut de tempestiuo Allegoriae usu quaedam adiciam. RIDELIVS o) quidem ad vividiorem imaginis picturam conducere Allegoriam docet, ut noua quasi species descriptae rei adhaereat. Sed eius potissimum utilitas quoque in oratione sublimi cernitur, cum grauia nec omnibus nota proferuntur, cum Deorum siue principum sermones effingimus atque minas non sine effectu quodam in oratione iactamus p). Itaque frequentissimae in PLATONIS scriptis Allegoriae occurrunt, cuius sublimis dicendi genus cum veteres tum recentiores Critici non negant, quamuis ea de causa in DIONYSII incurrerit reprehensionem q).

§. IV.

Absolutis iam, quae in vniuersum de Allegoriae natura atque virtute dicenda videbantur, ad duplicem illam Homeri Allegoriam

B 2

ita

o) In der Theorie der schönen Wissenschaften. Von den Figuren. pag. m. 367.

p) vid. VOSSII institut. orator. lib. VI, 4.

q) in illa ad Pompeium epistola de Platone dicit: *Ἀλληγορίας περιβαλλέτωι μακρὰς καὶ πολλὰς, ἕτε μέτρον ἐχέσας, ἕτε καιρὸν.*

ita explicandam accedo, ut, quae dixi, clariorem Homeri verbis lucem accendant. Duo autem in Iliade loca occurrunt eiusdem fere argumenti. Alter locus Iliad. 1, 498 — 503. ita legitur:

Και γαρ τε Λιται εἰσι Διὸς κρημὸν μεγαλοῖο,
 Χωλαὶ τε, ῥυσαὶ τε, παραβλαπτες τ' ὀφθαλμοῖο.
 Λίβρα τε καὶ μετοπίσθ' Ἄτης ἀλεγεῖσι κισσῶν.
 Ἡ δ' Ἄτη, σθεναιρη τε καὶ ἀργίπος, ἐνεκα πάσας
 Πολλῶν ὑπεκπρόθεε, φθάνει δὲ τε πάσαν ἐπ' αἶαν
 Βλαπτες ἀνδρῶπες, αἱ δ' ἐξαιεονταὶ ὀπίσσω.

Antiquissimam interpretationem huius loci poëticam dedit ERASMVS r):

*Nam Litas etiam genuit Saturnius ingens,
 Rugosae, pedibus claudis, ac lumine laesae,
 Quae Ates a tergo veniunt, medeantur ut illi.
 Ipsa Ate pedibusque valens et robore praestans,
 Proinde gradu celeri longe praevertitur, omnes
 Mortales laedens: verum hae post terga sequuntur
 Sarturae, quicquid commoverit illa malorum.*

Equidem ante iam verteram hanc Homeri Allegoriam, quam in illum Erasmi locum incidi, et quia ille interpretationem vno versu longiorem confecit, non retinendam censui qualemcunque opellam, in illius loci interpretatione a me susceptam:

*Namque Preces Ioue sunt natae, qui cuncta gubernat,
 Claudiae, rugosae, limis spectantur ocellis.*

Tri-

r) In Adagiorum Cbiliade. I. centuria VII.

*Tristes Erroris vestigia lata sequuntur.
At validus, celerique levis pede profilit Error.
Inde Preces multum praecurrit, damnaque cunctos
Quis laedit homines, illae reparare coguntur.*

Alter locus est Iliad. τ. 86, — 94.

— ἔγω δ' ἐκ αἰτίας εἰμι,
Ἄλλα Ζεὺς καὶ Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις Ἐρινὺς,
οἴτε μοι ἐν ἀγορῇ φρεσὶν ἐμβαλον ἄγχιον Ἄτην.
Ἡματι τῷ, ὅτ' Ἀχιλλῆος γέρας αὐτὸς ἀπήραον.
Ἄλλα τι κεν ἕξεσμαι; θεὸς διὰ πάντα τελευτᾷ
πρῆσβα Διὸς θυγατρὸς Ἄτη, ἣ πάντας αἰάται
οὐλομένη, τῆς μὲν θ' ἀπάλοι ποδῶς, εἰ γὰρ ἐπ' ἕδρα
πυλναται, ἀλλ' ἄρα ἤγε κατ' ἀνδρῶν κραατὰ βαίνει
βλαπτὸς ἀνδρῶπερ, κατὰ δ' ἐν ἕτερον γε πῆδησεν.

Quem quidem ita latine reddidi:

— non mea mens est conscia culpar,
Sed Iupiter Fatumque et noctis numen Erinny.
Qui mihi dicenti, quo tempore praemia cepi
Pelidae, saevos errores mente mouebant.
Quid nam tunc facerem? nam perficit omnia Numen.
Est Peccatum, nata Iouis, qua quisque tenetur.
Haec mollis pedibus iam dudum damna parauit.
Altior it terris, caput modo vertice fertur.
Impedit inductos, huic nunc aliius molesta.

Iam quidem, vt verum vtriusque Allegoriae sensum indagemus, primum ERNESTI auctore s), consilium earum, deinde

B 3

quod

s) conf. eius Institutio interpretis Part. I, Sect. 2. c. 4. §. 18. 19.

quod verbum in vtraque primarium lateat, est explicandum. Priorem Homeri locum ex illa Phoenicis ad Achillem oratione excerpti, qua suae senectutis auctoritate fretus animus Achillis iratum placare, cumque, vt denuo in gratiam redeat cum Agamemnone, adhortari studet. Inprimis vero, ne omnes amicorum preces renuat, quo facto etiam in posterum nec inter Deos, nec inter homines vlla concederetur erroris deprecatio, duplici Allegoria declarat, quam facile in promptu sit cuius homini in errores incidere grauissimos, quibus amouendis non eorum accedere deprecatio non possit. Itaque, licet precum mentionem aperte iniiciat, quare mixtis tantum Allegoriis haec nostra annumerari debet, ita tamen cum mulieribus mancis, deformibus et tardo admodum pede incedentibus eas comparat, vt ad animum Achillis commouendum omnique misericordiae sensu demulcendum quam maxime proficit haec comparatio. Ipsi vero Erroris formam vt omnis temeritatis atque alacritatis indicem depingit, qui nulli non homini non sine damno graui dominetur. — Videmus igitur in vtraque imagine metaphorae non alieno loco positae continuationem. Nam in oratione graui, qualis est hortatorum, cui simul minae quaedam sunt adspersae, Allegoriam recte vsurpari, iam antea cognouimus: quam aptam porro verba singula de precibus deque errore explicationem admittant, deinceps inquiramus.

In posteriori loco Agamemnon coram Achille cum ipso in gratiam redeunte et coram toto Graecorum exercitu propter litem aduersus Achillem susceptam purgare se conatur. Ipse vero dux summus Graecorum, non facilius se liberatum iri sperat ab illa iniuriae culpa, quam si arcana Deorum consilia tantum sibi erroris malum immisisse praetendat atque summis quibusque, ne Ioue quidem excepto, accidisse enarret, vt in varios inciderent errores. Quae de causa Allegoriae ope ipsam velut mentem Deorum aperit atque iustam simul summoque Graecorum duce haud indignam orationis suae grauitatem vindicat. Eadem temerariae atque velocis foeminae imago retinetur, quae hominum seducit mentem atque omnibus

bus vicissim molestiam facessit: quare etiam Allegoriae priori est si-
millima in partibus suis, quarum infra sequetur grammatica ex-
plicitio.

§. V.

Redeo ad locum Homeri priorem, cui tanta apud veteres
praestantia tribuitur, vt totum hunc nonum Iliadis librum *Λιται* ap-
pellarent. Ita EUSTATHIUS in commentario ad hunc librum: *Λι-
ται ἡ βασιλῆα ἐπιγραφεται αὐτῆ, ὑπο μίας τιτλεμένη λέξεως,*
atque vulgo a scriptoribus graecis: *ἐν ταῖς Λιταῖς* laudatur. t)
Vt porro Homeri de precibus sententia recte intelligatur, inprimis
teneatur, non de precibus in vniuersum loqui poëtam, sed de iis
tantum, quibus propter male facta deprecamur. Quod cum multi in-
terpretes non animaduertent, inter quos RICCIUM u) nominare
sufficiat, omnes precationis virtutes ex h. l. eradere atque Homeri
verbis vim inferre sunt conati. Certe si hanc esse precum naturam
dôcuissent veteres, vt male factis demum ad illas Deo siue homini-
bus offerendas concitaremur, manca atque explodenda ipsorum
sententia videretur. Sed satis superque suadet contexta oratio, Ho-
merum non ita humiliter de omnibus in uniuersum precibus sensisse,
atque constat inter omnes, quam honesta atque probabilis reliquo-
rum antiquitatis philosophorum de precibus opinio fuerit. Itaque
non abs re erit, XENOPHONTIS locum, x) in quem nuper incidi,
elegantissimum ad declarandam omnino veterum de precibus sen-
tentiam huc adscribere. Cyrus dicit auo suo: *μνημη γὰρ ἀκρί-
σας ποτε σθ, ὅτι εἰκότως ἀν καὶ παρὰ τῶν θεῶν πρακτικώτερος εἴη,
ὡσπερ καὶ παρὰ ἀνθρώπων, ὅτις μὴ, ὅποτε ἐν ἀποροῖς εἴη, τότε κο-
λακίῃσι, ἀλλ' ὅτε ἀρίστα πράττοι, τότε μαλίστα τῶν θεῶν μνημῶτο·
καὶ τῶν φίλων δε ἐφῆσθα χερίῃσι ὡσαύτως ἐπιμελεῖσθαι* — Ad haec
Aftya-

t) vid. STRABO Geograph. Lib. I. p. 33. edit. Almely. et quae ibi loca a
CASAVBONO laudantur.

u) cf. Eius dissertationum Homeric. dissert. 41.

x) in Cyropaed. Lib. I. cap. VI. §. 3. 4.

Astyages: ἔκην νυν ὦ παῖ, δια γε ἐκείνας τὰς ἐπιμέλειαις ἡδίων μὲν ἔργῳ πρὸς τὰς θεοὺς δεησομένους· ἐλπίζεις δὲ μάλλον τευξασθαι, ἂν ἂν δὲν, ὅτι συνειδεναι σαυτῶ δίκαις ἔ ποποτ' ἀμελήσας αὐτῶν; Infra autem: παρεχόντας ἐν ἑαυτέσ, οἷς δει, ἔτως ἡμῖν ἔδοκει δὲν καὶ αἰτεσθαι τὰ ἀγαθὰ παρὰ τῶν θεῶν. In ipsis certe libris diuinis eadem de precibus praecepta leguntur, vt praeclare factis optimam naēti occasionē precandi videamur, atque animo tunc laetissimo ad Deum exorandum accedamus. — Sumas igitur, in nostro Homeri loco de maleficorum precibus, qui ad frugem redeunt, esse sermonem, et omnia verba optime quadrare videbis. Eundem sensum quidam IN SCHOLIIS MINORIBVS interpret bene cepit. Additur enim ad h. l. δια το βραδείως καὶ μολις προσιεναι, ἔς ἂν προηδικηότες ὦσι. Et paulo post: ἔ δὲ ἄρθῳ τῷ βλεμματα προσορῶν δυνανται τὰς προηδικημένους. Totam autem precantium imaginem optime delineauit poeta ex consuetudine hominum apud patronos atque amicos suos deprecantium, nam illas preces potissimum respicit, si orationem contextam consulamus: quamvis non repugnet, hanc Allegoriam optime quoque referri ad preces Deo propter malefacta oblatas.

Διος κεραι μεγαλοιο, Ita Iouis filiae appellantur preces, si SCHOLIA MINORA audimus, vt magis venerandae videantur omniumque animis quam maxime commendandae. Graeca verba haec sunt: Διος δὲ θυγατέρας γενεαλογεῖ, ὡς σεβασμιώτερας φανεσθαι. Quid vero? si peccatum quoque Iouis filiam dixerit poeta, vti legere est in altero Homeri loco? Neutrum negari potest, apud veteres et malas et bonas res originem a Deo cepisse dici. Sed omnem hic litem oratio contexta dirimit. Hoc loco enim commendare vult Preces Achilli, ideoque res recte se habet, venerationem quandam accedere si Iouis filiae h. e. Deorum dono quodam concedi nobis videantur. Ceterum rursus aperte consentit religionis christianae praeceptis poeta, quae etiam diuino demum auxilio precum nos peritos fore annunciant.

Χωλαί, claudae. In SCHOLIIS MINORIBVS additur χλωποιοι. Sed ita non verba quidem poetae sed ipsa eius allegoria explicatur. Cum

Cum vero statim *ἑσσαι* explicatur *ἑσσαι* *ἔχουσαι* a diuerso auctore, vt saepe animaduerti licet, haec duo scholia fluxisse plane dubitari nequit. Optima huius loci explicatio in ERASMO l. l. reperitur. *Has, inquit, strabis oculis fingit et pedibus claudis, illud nimirum inueniens, offensas, esse citas, reconciliationes esse tardas, propterea quod iniuriae diu meminisse solent homines.* Adderem, quia plerumque neutrum eorum, inter quos sparsae sunt inimicitiae, iniuriae culpam in se suscipere, ideoque deprecari apud alterum velle videmus. Quae quidem precum tarditas etiam optime accommodari potest ad mutuam Agamemnonis et Achillis iram, quae tarde admodum deserbuit. Itaque nihili est *ἑσσαι* interpretatio, quia omnino tardae ad eum accedant preces, cui supplicaturae sint. Quod minime licet de bonorum precibus affirmare. SPONDANVS, quem idem Riccius erudite refellit, putat claudas dici preces, quod se in genua deiciant, qui preces faciunt. Mihi quidem illo SCHOLIORVM MINORVM auctore deceptus esse videtur, qui etiam male explicauit *γορυκλιῆς λιτανεύων*. Si quid adhuc addere libeat ad vocabuli huius interpretationem, hoc erit, *claudi* descriptione in vniuersum imperfecti, et miseri hominis naturam innui, qui necessaria alterius ope indigeat. Ita in graeco et latino prouerbio: *claudus sutor, claudi more tenere pilam, et in nostro: ein hinkender Bote* occurrit. Denique HERACLIDES γ) inde quoque Vulcani claudicationem optime explicandam censet, qua imperfecta ignis terrestri natura indicetur, qui sine continua lignorum appositione foueri non possit. Sed praefero priorem *tarditatis* interpretationem, quia docti poetae est proprium, rei descriptionem magis speciatim quam in vniuersum proponere: miseriae igitur imago ad aliorum multorum, tarditatis autem, ad deprecantis personam inprimis accommodatur. Enim vero ridiculum HERACLIDIS artificium, x) licet in reliquis bene explicauerit hunc Homeri locum, paucissimis attingere par est, qui reprehensioni, Iouis filias admodum deformes describi,

γ) Allegoriarum Homeric. cap. 26.

z) in libro l. cap. 37. *ἑσσαι* *ἔχουσαι* *ἑσσαι* *ἔχουσαι* *ἑσσαι* *ἔχουσαι*

scribi, ita occurrere voluit, quod non τας Διοσ Φυγαίτερας ἀλλὰ τες ἰκετευοντας ἀπέφηνατο. Sed male et contra verborum sensum hanc effinxit excusationem. Omnino enim turpes quoque res immitti Iouis nutu atque auxilio, iam supra attigimus. Neque vero Preces h. l. propter formae turpitudinem sed propter consilium laudabile et propter effectum, quem edunt, salutarem, coelitus missae dicuntur ideoque iusta veneratione non carent.

Ad vocabulum ῥυσαι, rugasae SCHOLIA MINORA ῥυτίδες ita explicant αἱ ἐπι τῆ μετώπῃ τῆ δερματος συρροφαί. Ex quo patet, non h. l. de anili ruga sed potius de rugis morosi atque tristici hominis, quas contrahere solet, esse cogitandum. Etiam latine vocabulum rugae ita vsurpatur. Notissimus enim est OVIDII versus:

Cum bene vir traxit vultum rugasque cōgit.

Quod voluit fieri, — facit.

In EVSTATHII scholiis additur: ἰκετεῦσαι συνδρωπαζον καὶ συναγομενον ἐκινεταὶ τὸ προσωπον, et paulo post: ἐκ ἰλαρον τὸ βλεμμα τοῖς λιταζομενοις. Quae interpretatio, si ad formam deprecantis propter malefacta restringitur, non est contemnenda, sed vt patet, de precibus in vniuersum et quidem falso pronunciatur.

Παραβλωπες ὄφθαλμω, oculis limis praeditae. Bene STEPHANVS a) admonet, vocabulum ὄφθαλμω h. l. abundare, quia eadem iam significatio verbo παραβλωπες inest. Sed additum videtur vocabulum, grace intellecto κατα, vt versus spondaeis refer-tus tarditatis notionem involueret, paene vt infra v. 591. repetitus quinque dactylus Erroris celeritatem arguit. Propria verbi παραβλωψ significatio de vitio oculorum solet poni. Inde EVSTATHIUS explicat: διεστραμμεναὶ τὴν ὄψιν et SCHOLIA MINORA: διατρεφοὶ τῆς ὄφθαλμω. Iam supra ad vocabulum λιταί laudavi reliquam scholiorum interpretationem; nam iniuria affecti non relictis oculis a nobis propter malefacti conscientiam et quia nondum recon-

a) in Thesaurο Graecae linguae T. I. pag. 751.

reconciliati inuicem sumus, conspici possunt. Ad vocabulum ἀλε-
γγοσι explicant SCHOLIA MINORA: *Φροντεζοσι*. Illae igitur Deae
finguntur *cogitabundae*, quia haec est hominis poenitentis et mala
mutantis consilia descriptio.

Denique notari meretur, hunc Homeri locum, qui de preci-
bus agit, ad senectutem athletarum a GALENO *b)* accommodari.
KOEHLERVS V. C. in notis ad illum GALENI locum reiiciendum
putat vocabulum ἀποσερμενοι, quod in versus Homerici sine ad-
iungitur, quia ita metrum turbaretur. Enimuero cum codicum
desit auctoritas atque ita iam hunc versum immutauerit GALENVS,
vt masculini generis terminationem: *χλωσιτε, ξυσιτε* ponat, quid
impedit, quominus censeamus, vocabulo abundanti ὀφθαλμο aliud
esse adiectum inserto τ', vt indicet: alios athletarum, cum ad se-
nectutem pertingant, oculorum vsu esse priuatos, id, quod infra
his verbis indicat: *οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμοὶ περιωροῦμενοι ποδάκεις*.
Si ita defendas lectionem ἀποσερμενοι inserta particula τε, tunc
illius particulae repetitio *partitionem c)* inuoluit:

*Partim sunt claudi, partim rugosi, partim strabi, partim
oculorum vsu priuati.*

Iam quidem addenda quaedam superessent, quibuscum alte-
rius Allegoriae atque loci Iliad. τ. explicatio coniungeretur, sed alii
tempori, quae reliqua sunt, reseruabo, atque idoneam scribendi
naetus occasionem simul quaedam librorum diuinorum loca, in
quibus similes occurrunt Allegoriae, laudabo. Meum est, vt ad
actum in Lyceo nostro oratorium VESTRAM, PATRONI SPLENDIDIS-
SIMI, ANTISTES SACRORVM SVMME VENERABILIS, SENATVS CI-
VITATIS AMPLISSIME, MINISTRI SACRORVM PLVRIMVM REVE-

C 2

RENDI,

b) In προτρεπτικῷ ἐπὶ τεχνῶν cap. XI.

c) ita occurrit particula τε in Iliad. β. 145. Τα μὲν τ' Εὐρὸς τε Νοτὸς
τε ἄρορε, hac undas partim Eurys partim Notus concitat. Neque Hoo-
genius potestatem huius particulae ἐπιδοτικῆν negavit, vid. eius opus
de particulis graecis, edit. Schuitzii. p. 744. cum quo conferantur,
quae de particula *χω* pag. 371. praecipit.

RENDI, MAGISTRI LYCEI CLARISSIMI et FAVTORES LITTERARVM HONORATISSIMI, praesentiam et meo et nostrarum Musarum nomine etiam atque etiam exorem.

I. CAROLVS FRIDERICVS CRAMER, *Dahle-Misnicus*, Latina oratione: *nullum sine errore vitium dari*,

II. GEORGIUS TRAVGOTT FISCHER, *Wesingamisnicus*, Vernacula oratione: *virtute sola animi errores eradicari*,

III. CHRISTOPHORVS CAROLVS STVIBEL, *Bausftiensis*, Latine: *varia errorum emolumenta animum emendaturis futura*,

IV. IOANNES CAROLVS BEPPEL, *Annaburgensis*, Carmine theotisco: *eius felicitatem, qui emendandis aliorum erroribus deleatur, demonstrabunt.*

Neque dubito, fore, vt quicquid incitamenti, PATRONI ATQVE FAVTORES AESTVMATISSIMI, his bonae spei adolescentibus praesentia VESTRA accesserit, et his et omnibus nobis gratam benevolentiae VESTRAE memoriam conseruet, Scripsi Torgaviae. d. 8. Octobris. A. MDCCLXXXIV.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112



TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17





ERROR

AL

IN S
D.

PATI

M. TRAV

EX

EM

ERICAER

ECIBVS.

ES IV.

VIENSI

XXXIV.

ORES

BENEDICT



75

784

